

DISSERTATIO JURIDICA,
MISCELLARUM
JURIS QVÆSTIONUM
DECISIONEM CON-
TINENS.

QVAM
DEO Ter Optimo Maximo

bene juvante

P R A E S I D E

DN. JOHANNE GEORGIO
SCHERZIO,
J. U. D. & Prof. Publ. Ordin.

& Canonicō Thomano,
IN ALMA ARGENTORATENSIO
UNIVERSITATE
SOLENNI *Eruditorum Examini*
subjicit:

FLORENTIUS BOURSTE,
Oberbergheimensis-Alsat.

A U T O R.

A. D. 26 Augusti M DCC XIX.

ARGENTORATI,
LITERIS JOHANNIS PASTORIL.

ss. jur. civ.

255, 56


V I R O
PER-ILLUSTRI atque EXCEL-
LENTISSIMO DOMINO,

DOMINO
JOH. BAPTISTÆ
DE KLINGLIN,

DOMINO IN HATSTATT &c.
S. REGIÆ MAIESTATIS
CONSILIARIO
EIUSDEMQVE
IN CIVITATE ARGENTORATENSI
PRÆTORI,

*Patrono ac Mæcenati summe
venerando*
HASCE STUDII JURIDICI PRIMITIAS
Sacras esse vult

Devotissimus Cliens
FLORENTIUS BOURSTE,
Oberbergheimensis.



PRÆFATIO.

Cum laudabilis inclytæ hujus Academiæ mos ferat, ut ij, qui per aliquod tempus jurisprudentiæ operam navarunt, & ad Honores, quibus Themis Alumnos suos ornare solet, grassantur, specimine quodam Disputatorio, de profectibus in Jure partis, Publico fidem faciant, mearum partium esse duxi, ut huicce mori & ipse morem geram. Eum in finem Miscellas quasdam ex Jure Quæstiones, Tuo, Benevolè Lector, judicio, & Commilitonum certamini amico expono. Quod, ut feliciter cedat, D.T.O.M. supplex veneror.

QVÆSTIO I.

*An Princeps, seu Imperans, Privilegia
ex merâ gratiâ concessa pro lubitu revo-
care possit?*

IN Jurisconsultorum Politicorumque Scholis frequens est, ut, cum de Privilegiis agitur, distinguatur inter Privilegia ex merâ gratiâ concessa, & inter ea, quæ ex singulari aliquo merito, aut prævio titulo oneroso alteri indulgentur. Quæ Distinctio cum varios effectus producat non immeritò quæritur: An inter effectus illos hoc etiam referendum sit, quod Privilegia, ex merâ gratiâ concessa, pro lubitu revocari possint? Illa autem, quæ singulare meritum aut titulum ratione privilegiati onerosum sequuntur, ita revocari non queant: Affirmant hocce non pauci Doctorum, inter quos *Enenckelius* de Privilegiis, *Reinkingu*s, item *Carpzovius* eminent, quorum hic ultimus in *Decisionibus Saxonics*, *Decis. 87. Carolum Tapium, Didacum Co-*

var-

varruviam, Cravettam, & Cacheranum
allegat. Argumenta horum hæc potissimum
sunt, quia 1.) juxta Brocardicum,
Jus quæsitum Princeps ex plenitudine Po-
testatis, durch einen Macht-Spruch/
aufferre potest; ergo multo magis Privi-
legium gratiosum. Quia 2.) juxta §. XI.
Instit. de J. N. & G. Jura Civilia à Legis-
latore Civili mutari possunt; quô ipso
maxima inter Jus Naturale & Leges civi-
les intercedit, Differentia. Quò etiam per-
*tinet L. 100. n. de R. J. ubi *Cajus* di-*
cit, omnia, quæ jure contrahuntur, contra-
rio jure pereunt. Quia 3.) juxta L. 102. §. I.
n. de R. J. ejus est actionem denegare, qui
potest & dare.

Quæ rationes, quamvis satis sint spe-
 ciosæ, tantum tamen pondus non habent,
 ut in affirmantium sententiam nos trahe-
 re queant: Nam, quod *primam* attinet,
 responderimus, falsum esse illud vulgo ja-
 ctatum Brocardicum; Licet enim non ne-
 gemus, summum Imperantem posse Jus

quæsitum alicui afferre, si necessitas pu-
blica id requirat; quò pertinent ea, quæ
Dd. de Dominio eminenti tradunt; inde
tamen non sequitur, pro lubitu, & sine
justa causa, jura semel quæsita, sive nunc
Privilegij, sive alio nomine veniant, posse
afferri. vid. omnino *Dn. de Cocceji in f.*
Civili controverso Libr. I. Tit. 4. quest. XI.
Alterum argumentum ibidem satis est lu-
bricum. Etenim verissimum quidem est
quod *Leges Civiles mutari possint ab Im-*
perante si Reipubl. Ratio id postulet, *imò*
interdum *debeant*, ast inde tamen, si ad Pri-
vilegia id trahere velis nihil aliud sequi-
tur, quam quod possit casus incidere, ubi
Privilegia etiam mutari & revocari que-
ant, id quod nos non negamus. Nec magis
ad rem facit, quod *omnia quæ jure contra-*
huntur, contrario jure pereant; nam tex-
tus ille intelligendus est, *cæteris paribus*.
Id scil. indigitare ille vult, quod Res Ci-
viles iterum per alios Actus Civiles tolli
& in irritum redigi queant e. g. Agnatio,
uti

uti per actum Civilem, adoptiorum scil.
contrahitur, ita eadem contrario actu Ci-
vili, Emancipatione nempe, iterum tolli-
tur. vid. *Jac. Gothofred. in Comm. ad R. I.*
Ultima ratio parum etiam nos moratur.
Posito enim, quod lex illa debent appli-
cari ad privilegia, inde nihil aliud sequi-
tur quam ejus esse, denegare Privilegia
cujus est dare, seu, quod ille, qui habet fa-
cultatem in Republica dandi Privilegium,
etiam hoc ipso habeat facultatem dene-
gandi illud; ast multum inter se diffe-
runt denegare nondum datum, & revo-
care semel concessum. Multa honeste &
juste denegantur, quæ tamen si semel fue-
rint concessa, parum honeste revocantur.
quod ab initio voluntatis fuit, postea fit
necessitatis. conf. *l. 17. §. 3. π. Commod.*

Nobis sedet sententia, quod Privile-
gia ex mera etiam gratia concessa non
possint pro lubitu revocari. Eo ipso enim
dum Imperans alicui concedit privilegi-
um, ostendit, se singulari quadam ratio-
ne ei,

ne ei, cui id indulget, favere, & cum nullos temporis limites præfigit beneficio, censetur id in perpetuum induluisse ; fatemur quidem posse ita concedi privilegia, ut ea quandocunque libuerit, revocare liceat, (id quod Senatum Romanum circa quædam Privilegia fecisse refert *Appianus in Ibericis p. 279.*) qualia privilegia habent naturam precarij, sed ordinarie eo animo id fieri præsumendum non est. Et hoc ipsum Analogiæ juris omnino congruit : Ita ille qui simpliciter nulla facta mortis mentione, aut nullo tempore adjecto donat, in perpetuum donasse censetur, nec jus revocandi salvum habet. vid. t. 1. C. de Revoc. Donat. & Dd. Cui accedit, quod beneficium Imperatoris, quod à divina ejus indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debeamus juxta l. 3. C. de Constit. Princ. Conf. l. 2. Cod. lib. 12. tit. 24. plura non addimus. confer Barbeyrac ad Pufendorf. *Droit de Nat. & des Gens* liv. 8. ch. 10. §. 9. & Berger. in *Oeconom. Jur.* l. 1. 25. 4. Qu. II.

QVÆSTIO II.

An verum sit, quod, uti Lauterbachius loquitur, bodie servitus inter Christianos in desuetudinem abierit?

HAnc quæstionem dum proponimus, facile apparet, sermonem nobis non esse de servitute, quam *pactitiam* quidam vocant, seu tali, qua quis operas suas ad tempus pro mercede ad familiæ utilitatem alteri addicit, sed de eâ, quam *Legalem* nominant, vi cuius quis alterius dominio potestatique subjectus est. Hanc servitudinem cum multis aliis *Lauterbachius* hodie in desuetudinem abiisse dicit, sed, meo iudicio, non ita benè. Aut enim loquitur de servitute Romana, aut de servitute non Romana, e. g. Germanica; quæ probè sunt distinguenda, ceu jam *Tacitus* in *opusculo de moribus Germanorum* monuit. Si de Romana loquitur, in eo peccat, quod, dum illam in desuetudinem abiisse inter Christianos dicit, hoc ipso tacite asserat, illam inter Christianos generaliter

quasi fuisse receptam ; Nam quod in de-
suetudinem abiit, necesse est, ut antea fue-
rit receptum. Ast generaliter inter Chri-
stianos, Gallos in primis & Germanos, ta-
lem servitutem receptam fuisse , probari
non potest ; Imò contrarium testantur
Antiquæ Germanorum LL. Capitularia
in primis Regum Francorum , & Formulae
Marculphi & Bignoniane , ac antiquo-
rum temporum Diplomata. Si autem lo-
quitur de servitute non Romaina, illam in
flagranti adhuc esse, in primis in Germa-
nia, usu res ipsa & experientia docet. Un-
de invita veritate Celeberr. *Conringius in*
Exercit. de Urbib. Germ. §. 81. dicit: O-
mnes penè servos per universam Germa-
niā ex pietatis fervore post annum Chri-
sti nongentesimum fuisse emancipatos ;
Nec magis veritati consonum est asser-
tum *Bodini*, qui circa annum Christi 1250.
servitutem penitus sublatam esse tradit.
Adde Huber. in Praelect. 7. Civil. ad In-
stit. lib. I. tit. 3. §. 6. Quod si quis objiciat,
aliud

aliud esse servos, aliud esse homines proprios, **die Leib-Eigene/ Eigenleut.** Hos reperiri in Germania, illos non item; respondeo, erroneam esse hanc distinctionem; Licet enim verum sit, quod ea, quæ circa servos Romanorum obtinuere, (qua de re ex professo egit *Laurent. Pignorius* in elegantissimo opere *de Servis*,) non omnia quadrent ad homines nostros proprios, id tamen non impedit, quomodo dici possit, eos esse servos. Etiam de servis Hebræorum, Græcorum, aliorumque populorum eadem dici non possunt, quæ juxta Leges moresque Romanorum in servos cadunt; Quis tamen negaverit, eos habuisse veros servos. Sufficit, quod Domini hominum priorum in illorum corpus & actiones habeant jus aliquod reale, quod liberi eorum ejusdem sint sortis, quod alienentur cum fundo, quod discedentes ex fundo vindicari possint, item quod manumissio in illis locum habeat. vid. *Hertij Dissert. de Hominibus propriis*,

nec non *Potgieserum de Conditione & Status Servorum, apud Germanos, tam Veteri, quam Novo.* Nomen autem Servi iisdem convenire , antiquorum temporum , Leges , Diplomata , instrumenta , Testamenta abunde ostendunt ; Sane , si quis curato oculo examinet , unde hoc vel illud Monasterium &c. in hos , vel illos , tanquam homines proprios jus suum habeat , apparet , illud descendere ex diplomate , quod servorum quidem & mancipiorum , non autem hominum propriorum , (quod nomen recentius videtur) mentionem injciat . Imò , adhuc hodie servos dari , & nominari , solennissimo , & summæ auctoritatis monumento demonstrari potest : Est illud *Instrumentum Pacis Westphalicae* , communī Imperij , immò aliorū etiam summorum Imperantium concursu publicatum ; Ubi Artic. V. §. 37. hæc sanciuntur : *Conventum autem est , ut à territoriorum Dominis illis Subditis , qui neque publicum , neque privatum exerci-*

ercitium Religionis suæ dicto anno 1624. habuerunt.
 & tamen tempore publicatæ præsentis pacificationis, in
 unius, vel alterius Religionis Statuum immediatorum
 ditionibus habitare deprehenduntur, quibus illi etiam
 annumerandi erunt, qui ob calamitates bellicas evitan-
 das, non tamen, animo transferendi domicilium, alio e-
 migrarunt, & facta Pace, in Patriam redire volunt,
 terminus non minor quinquennio, illis verò, qui post pa-
 cem publicatam Religionem mutant, non minor triennio,
 nisi tempus magis laxum & speciosum impetrare po-
 tuerint, ad emigrandum præfigatur, neque sive volun-
 tariè, sive coactè emigrantibus, nativitatis, ingenuita-
 tis, manumissionis, noti opificij, honestæ vitæ testimonia
 denegentur, aut idem reversalibus inusitatib; vel deci-
 mationibus, substantiæ secum exportatæ, plus æquo ex-
 tensis prægraventur, multo minus spontaneam suscipien-
 tibus emigrationem, servitutis aut ullo alio prætextu
 impedimentum inferatur.

QVÆSTIO III.

*An verum sit, quod Consuetudo, qua bona
 Naufragorum Fisco cedunt, ratione sua non
 destituatur.*

A Pud varios populos & olim receptum fuit,
 & hodie in usu est, ut Naufragorum bona
 Fisco addicantur. vid. Grotius de J. B. & P. Libr.
 II. Cap. VII. §. 1. Bodin. L. I. de Republica cap. ult.
 juxta illud Juvenalis Satyr. IV.

*Quicquid conspicuum pulchrumque ex æquore ta-
 to est*

Res Fisci est ubique natat -- -- --

B. 3

Ap-

Appellatur hoc jus Gallis : *Droit de bris, Droit de Naufrage.* Normannis : *Varech.* Scotis : *Wred.* Germanis : *Grundruhr / item Strandrecht ; De quo videatur omnino Schottelius de singularibus quibusdam & antiquis in Germania Juribus, & Gericken in Spicilegio ad dictum Schottelij Tract. c. 20.* Quod jus tam parum æquitati repugnare credebatur, ut etiam in publicis precibus Ecclesiæ Ministri dicantur Deum rogasse, daß er das Strandrecht segnen wolle ; Sed morem huncce tanquam barbarum & immanem improbarunt melioris notæ Principes. vid. *Lex IX. n. ad Legem Rhodium de jactu.* Addatur *Lex VII. n. de incendio, ruina, naufragio,* In primis consuetudinem hancce testatus est, quisquis est Auctor L. i. Cod. de Naufragiis. quæ ita loquitur : *Si quando naufragio navis expulsa fuerit ad littus, vel si quando aliquam terram attigerit, ad Dominos pertineat, Fiscus meus se se non interponat ; quod enim habet jus Fiscus in aliena calamitate, ut de re tam lucuosa compendium sectetur,* cui consonat omnino Constitutio Friderici II. quæ inserta legitur C. Justin. Tit. de furtis. in qua expresse omnium locorum consuetudinem contra naufragos se tollere dicit. conf. Alexander III. in Concil. Lateranens. ubi Excommunicationi subjicit eos, qui Christianos, naufragium patientes damnata cupiditate spoliant rebus suis. Horum vestigiis insistens sacratissimus Imperator Carol. V. in Ordinat. Crim. Art. 221. inter consuetudines irrationales & abolendas refert, den Missbrauch / so ein Schiffmann / mit seinem Schiff verfähret / Schiffbrüchig würde / daß er alsdann der Obrigkeit /

seit dessen Orts/mit Schiff/Leib und Gütern verfallen
 seyn soll. Optima sane ratione hæc sunt constituta,
 quo enim jure res & corpora eorum, qui nullius
 delicti rei sunt, quorumque infelicitas misericor-
 diam aliorum provocare deberet, Fiscus sibi vin-
 dicabit. Nec obstat, quod videri posset hasce res
 tanquam pro derelicto habitas posse occupari: quo
 facit l. 43. §. 11. π. de Furtis, ubi dicitur: *si jactum*
ex nave factum, aliis tulerit, an furti teneatur? quæ-
 stio in eo est, *an pro derelicto habitum sit.* Et si quidem
 derelinquentis animo jactavit (quod plerumque cre-
 dendum est, cum sciat peritum) qui invenit suum
 facit, nec furti tenetur. Revera enim dici non potest
 naufragos tales habere animum derelinquendi; sæ-
 pe quidem parum spei miseris his supereft recupe-
 randi res suas, animum tamen illas in dominio re-
 tinendi, si qua ratione fieri posset, ut illas recipe-
 rent, non exuunt. Nec lex ante allegata hujus con-
 trarium asserit; nam τὸ Cum in formula: *cum sciat*
peritum, non est particula αἰτιολογία seu causalis,
 sed adverbium temporis, ac idem significat quod
 quando. conf. Strauch. Diff. ad Jus Univers. d. 6. l. 40. Quæ
 cum ita sint, mirari liceat quod *Vir quidam Eruditus*
 in suis ad Institut. Notis p. 148. in hæc verba erumpere
 non dubitaverit: *sane ista consuetudo* (qua naufra-
 gorum bona confiscantur) *ratione sua non destitui-*
tur: nam jactus bonorum tempore naufragij non quidem
animō derelinquendi regulariter tamen absque spe recupe-
randi fit; adeo ἐξ domini littorum loco veſtigalis, quod im-
 ponere possent, *retinere possunt ejusmodi merces in littora*
ejectas, in primis cum ſæpius difficillimæ sit probationis &
inquisitionis, cuius ſunt merces, atq; eadem fere ſit ratio
bijus

*bujus consuetudinis, quæ alluvionum est. Quæ verba
an locum suum inter cordatos tueri possint, jure
mihi dubitare videor. Licet enim exigua sæpe
spes sit recuperandi res tales, animus tamen adest
semper illas, quantum fieri potest, in potestatem
suam redigendi. Et, quo jure loco vectigalis (posi-
to quod jus vectigal exigendi adfit) hi miseri mer-
ces in littora ejectas Dominis littorum relinquere
debent. Vectigal solvunt, qui merces transvehunt,
ast horum merces non transvehuntur. Præterea
inter vectigal & merces proportio esse debet, qui
igitur omnes merces, quibus maris rabies parcit,
vectigalis loco cedent. Probationem sæpe esse
difficilem negari non potest, ast difficultas pro-
bationis facere non debet, ut suum reposcentibus
& rite probantibus (quod sæpe fieri potest) jus
denegetur. Alluvionum ratio plane alia est. Ibi
enim nescitur cui terra, alluvione alterius agro
adjecta, sit ablata. Ast hic præsupponimus, ma-
nifestum esse, has vel illas merces hujus vel
illius esse. Verissimum itaque videtur injuste
naufragorum bona in Fiscum redigi. Quod
dum dicimus, non negamus posse pro defen-
sione & auxilio partem rerum aut aliquam vecti-
galis præstationem exigi, qua in re tamen mul-
tum etiam Humanitati relinquendum. conf. Hu-
berus de Jure Civitat. lib. I. Sect. III.*

c. 7. §. 57.

DEO SOLI GLORIA.